EXAMEN PUBLICUM

IN

GYMNASIO REGIO VARMIENSI

QUOD BRUNSBERGAE EST

DIEBUS XIII. ET XIV. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXV

INSTITUENDUM

INDICIT

DR. GIDEON GERLACH,
DIRECTOR ET PROFESSOR.

BRUNSBERGAE,
TYPIS MUTTRAYANIS.

De augmento verbi Herodotei.

Quum nuper mihi impositum esset, Herodoti libros discipulis exponere, quos plures per annos nulla extrinsecus causa urgente obiter tantum inspexeram, optime utilitati utriuspue partis consultum iri putavi, si scriptorem totum uno tenore perlegendum mihi sumerem. Qua in re intento multa statim occurrerunt, quae jam adolescentem tanquam ab usu linguae communi et ab Ionum dicendi genere, quod Homerus sequitur, aliena ideoque admiranda tenuerant, ut taceam, quae nunc demum latius accuratiusque circumspicientem et ponderantem exercuerunt. Nam quod ad formam vocum, ea jam talis existit apud Herodotum, ut vix dici possit, metri rationem vel sublimiorem poetarum sermonem causas subesse dictionis inter utrumque diversae. Obversatur mihi, dum hoc diserte moneo, res ea ipsa, quam tractandum mihi proposui, augmentum dico et reduplicationem verbi Herodotei. In ejus enim usu noster, praecipue quod ad verba a vocalibus incipientia, tam singularis et sibi ipsi parum constans deprehenditur, ut res habeat profecto, quo ad investigandum alliciat, etiamsi disquisitionis fructus non tanti sint, ut operam impensam aequiparent. Arridet praeterea et invitat scrutatorem etiam illud, quod nunc quoque, quum literarum antiquarum commercium tam late sit diffusum, ut, quae primo obtutu minutiae videantur, in disputationem vocentur, res illa intacta relicta est, ne dicam, quod ne in libris quidem grammaticis, qui vel a Graecis ipsis profecti sunt, vel a viris doctis nostri temporis editi, aliquam certe experta est tractationem. Sic Buttmannus in grammatica ampliore, libro, si etymologiam graecam respexeris, nunc quidem praestantissimo, duobus tantum locis pauca quaedam, Herodoto paulisper insistens, monet de reduplicatione neglecta in vocibus ἐπαλιλλόγητο et ἀποξηρασμένος, Pars I. p. 525 Adn. 9. obiter editores Herodoti perstringens, quod in Ionismi licentia acquiescentes nimis festinanter ei imputaverint, quae excutere et ad analogiae leges reducere debuissent et p. 529. Adn. 6. — Matthiae in libro grammatico conficiendo syntaxeos leges praecipue exhaurire sibi imponens saepius quidem Herodotum, ut qui viam quasi publicam in aug-

mento adhibendo relinquere soleat, excitat (cf. novissima lib. ed. P. I. p. 292. 297) neque tamen leges, quas scriptor sequitur, usquam constituit. — Kühnerus, vir et ingenio et doctrina inter praestantissimos sui generis referendus, satis laudabiliter rudem indigestamque molem legum grammaticarum ad amussim revocavit atque disposuit. Quod munus grave in se recipiens debitas omnium, quorum interest, juventutis scholarum commodis prospicere, gratias jam consecutus esse mihi videtur easque cumulatius etiam meriturum esse confido, si viam institutam persequi non destiterit. Neminem enim fugit, qui intentiore animo, quid recentiora tempora in hoc genere studiorum praestiterint persecutus est, viri praeclarissimi ingenium atque dexteritatem non solum materiem in libris grammaticis congestam in ordinem redigere et sustinuisse et valuisse, sed etiam in usum suum satis prospere convertisse, quae aliunde obvenissent dispersa vel in commentationibus scholasticis, vel editionibus scriptorum veterum, largam rerum grammaticarum suppellectilem offerentibus. Desideravit quidem aegre censor Berolinensis, quod vigil ille scrutator grammaticos primarios, qui Atticistarum nomine feruntur, suo loco adhibere supersederit; sed vereor, ne doctus ille vir, nostrum reprehendens, paullisper oblitus sit, Kühnerum docentium potissimum commodis prospicere cupivisse, ideoque in scriptores, qui discipulis tradi soleant, oculos convertere maluisse, quam opus infinitum et omnibus numeris absolutum exhibere voluisse. Nam, quominus viro, reprehensionem illam excitanti, accedam, eo etiam prohibeor, quod Atticistarum leges justo magis vanae et inanes deprehendantur, ita ut parum ad rem aliquam expediendam conferant, difficiliora autem pro eo, qui ipsorum mos est, vix attingant, ne dicam, silentio transeant, id quod ipse experientia edoctus probare sustineo et satis etiam demonstrant annotationes, parerga vel quocunque alio nomine appellantur, quibus viri docti praecepta grammaticorum restringunt, amplificant, refellunt. Ita fit, ut plerumque ex annotationum redundanti mole longe aliud prodeat, quam quod legislator monens praeceperat. Quae quum ita sint, multum abest, ut Kühnerum, quem optimum nunc ducem per linguae graecae campum dumosum judico, vituperem ob omissa, ut auctor ipsi esse malim suasorque, ut viae institutae insistat resecandoque ea, quae ex Indorum et Gothorum lingua comparando adjecit satis quidem bona, sed intempestiva nec non turbantia, novis fructibus interea cum diligentia collectis aditum aperiat. Desideratur enim etiam nunc opus grammaticum graecum omnibus ex partibus perfectum, cujus generis non unum de linguae latinae praeceptis possidere patria nostra gloriatur.

Omni igitur ope ex grammaticis nostri aevi petenda destitutus jam ad superioris temporis rerum grammaticarum auctores confugiens, salutem inde petere properavi. Sed is ipse, apud quem salus praecipue speranda videbatur, Gregorius ille Corinthius

et Maittarius in libro de dialectis composito doctrinae illius, quae petebatur, expertem me dimiserunt. Id tanto magis dolebam, quod meritissimus de Gregorio editor, Schaeferus doctissimus, quem etiam nunc Lipsiae florere et vigere omnes mecum laetantur antiquarum literarum quasi Nestorem, ex abundanti et larga doctrinarum copia ad nostram rem pauca tantum, sed gravia addendi opportunitatem non est nactus, quum edendo Herodotum lectionibusque in eo constituendis plus semel edoceat, quanta inter eum et Herodotum familiaritas ac consuetudo intercesserit. — Maittarius nimis anxie grammaticorum veterum vestigia sequutus parcus in nostra re tractanda cernitur interpres. Adeas, si libet, librum ipsum p. 162—164, et mecum facies, si diffidens fueris. Vulgaria attingens gravioribus supersedet. — De Phrynicho non est quod dicam. Atticae tantum dialecti custos severus nihil nec ipse, nec editor ipsius nuperrimus, nostri temporis lux omnia antiquitatis studia collustrans, in usum nostrum contulit. Quum autem tam multa adhuc restent grammatica, quae manu obstetrice post Wesselingium et Schweighaeuserum indigeant, praeterea codices, unde ultima vulgo salus petitur, ita sint comparati, ut Schweighaeuserus ipse, quem Herodotum penitus ac totum cognovisse nemo judex aequus infitiabitur interdum dubium se haesisse profiteatur, quam lectionem potiorem amplectatur; quum denique tanta codicum inter se sit discrepantia, ut, si quid vidisse certi tibi videaris, non unus exstet praeposterae laetitiae refragator invidiosus, jam in unum intuemur tanquam servatorem ex his damnis et difficultatibus, ex angustiis ereptorem, virum dico, qui, ad quemcunque se hucusque convertit antiquitatis scriptorem, cuicunque rei investigandae operam suam navavit ad antiquitatis studia promovenda, ad dubia removenda, ad mendacia, falsa, levia in litteras invecta tollenda atque uno quasi ictu conficienda, ubique victor exstitit in campo talis, ut, qui rem tractatam penitus cognitam habent, libenter ad ejus partes videas transeuntes, dubios erectos conspicias, vana jactantes jam obmutescentes appareant, et lux tenebris ante diffusis admoveatur. Tribus jam speciminibus de dialecto Herodoti spem de promissa Herodoti editione per se magnam etiam auxit, quam ut expleat tandem consensu omnium enixe rogo.

His praemissis probasse mihi videor, operam impensam non omnino fore irritam, et veniam me impetraturum esse apud aequos harum rerum judices, quippe qui sciant, quantis difficultatibus hujus generis studia impedita sint, si quis primus accedit ad tale negotium sustinendum, quique non nimis ferant, si alia non ad ipsorum voluntatem tractata, alia omissa videant. Liceat praeterea a via recedere, quam vulgo grammaticos inire observamus, ut primo loco augmentum verborum a literis consonantibus inductorum in disputationem veniat, idque excipiat augmentum temporale, statimque ad hoc transire, ita tamen, ut praecepta de augmento temporali in verbis compositis

in aliud tempus differamus. Quominus viam illam vulgatam in re tractanda instituam, duo potissimum subsunt causae, quae excusationes admittant. Primo non continuum opus discentium commodis inserviens scribendum mihi sumsi, sed partem grammaticae docentibus penitus cognitam tractaturus sum: verendum igitur non est, ne transpositione facta nexus rerum intermittatur; deinde Herodotus in augmento imprimis temporali vel adhibendo, vel negligendo vel novo augmento addendo singularis et unicus deprehenditur, augmentum vero syllabicum paucissimis verbis, multo certe paucioribus absolvere licebit, quam ut ulla ratione cum temporali comparari queat, etiamsi quaestio, num unquam id omittere sibi indulserit nec ne, propter codicum dissensum inter se et exiguam ipsorum fidem satis confirmatam ut ex parte gravior ita non uno nomine impeditior cognoscetur.

Primarium praeceptum, quod de augmento temporali recte efformando proponitur, edicit, brevem vocalem, quae verbum inducat, cum longa permutare oportere, ε igitur et *α* in *η*, *ο* in *ω* abire jubet.

Vix ulla lex exstat ulla in lingua, quae ab uno scriptore toties negligitur, quoties hanc legem ab Herodoto violatam videmus. Admiratio, qua in legendo tenemur, tanto magis accrescit, quod causam laesi praecepti circumspicienti nulla succurrit aut justa aut satis idonea. Apud poetam metri legibus, licentiae poeticae, rhythmo id tribuere festinares, quod ullo modo expedire scrutanti ac deliberanti denegatum esset. Sed in nostro tantum abest, ut tale quid habeas, quod amplectaris tanquam naufragus et in quo acquiescas, ut etiam invitus profiteri cogaris, Herodotum ipsum quum nativo candidoque sermone usum, tum in efformanda lingua nullis legibus omnino obstrictum fuisse aut certe solutioribus, quam ut ad amussim quodammodo revocari queant. Apud nostrum enim verborum a vocali inductorum magnus numerus augmenti temporalis aut patiens aut impatiens est, ita tamen, ut tertius etiam ordo constituendus sit, qui verba luxuriantia recipiat, augmento nunc praedita nunc destituta.

I. Verba augmenti temporalis patientia.

ἀγείρω : *ἤγειρον* I, 61 *ἤγειρε* I, 59. 62 VIII, 131.
ἀγοράζω : *ἠγόραζον* III, 138. IV, 78.
ἀγοράομαι : *ἠγορόωντο* VI, 11.
ἀγροιώ : *ἐξηγρίωσαν* VI, 123.
ἀγωνίζομαι : *ἠγωνίζοντο* VIII, 87 *ἠγωνίσαντο* I, 76. VII, 212. 234 *ἐξηγωνίζετο* III. 83.
ἀδικέω : *ἠδικήσαμεν* VI, 119 *ἠδίκησας* VII, 35.
αἴρω : *ἐπῆραν* VI, 99 *ἐξήρετο* VI, 133 *ἐπήροντο* VI 130.
αΐσσω : *διήϊξε* IV, 134.

ἀϊστόω : ἠΐστωσε III. 127.
ἀκμάζω : ἤκμαζε III. 57. VI, 127.
ἀκοντίζω : ἐσηκόντιζον I, 43.
ἀκρωτεριάζω : ἠκρωτερίασαν III, 59.
ἀλγέω : ἤλγησε III, 50.
ἀλείφω : ἐξηλείφοντο VII, 69 ἐξηλείφετο VII, 220.
ἁμαρτάνω : ἡμάρτανον IV, 140 ἥμαρτον IV, 142. ἡμάρτομεν V, 91, IX, 7.
ἀμελέω : ἠμέλησε VII, 163.
ἀμύνω : ἠμύνετο III, 78 ἠμύνοντο III, 158 VIII, 51. 52 IX, 70. 102.
ἀναγκάζω : ἠνάγκασε I, 98. 157 VI, 42 : ἐπηνάγκαζε VIII, 130 ἠναγκάζετο VII, 16. VIII, 105 ἠναγκάζοντο I, 86. V, 101.
ἀνδραποδίζω : ἠνδραπόδισαν I, 151 ἠνδραποδίζετο V, 27 ἠνδραποδίσαντο I, 76. III, 59 IV, 204 VI, 18 ἐξηνδραποδίσατο I, 161.
ἄνω : ἤνετο I, 189 VIII, 71.
ἀντάω : ἤντησε I, 114 II, 119.
ἀνύω : ἤνυε IX, 66 ἠνύσατο I, 91.
ἁρπάζω : ἥρπαζον I, 166 ἡρπάζοντο I, 4 ἥρπασε II, 56 διήρπασαν IV, 113.
ἀξιόω : ἠξίου III, 42 ἠξίωσας III, 145 ἠξίωσε III, 53. 160.
ἀπάγχομαι : ἀπήγξατο II, 131.
ἀράσσω : ἀπήρασσον VIII, 90 κατήραξαν IX, 69.
ἀπιστέω : ἠπίστησαν VI, 108.
ἀπορέω : ἠπόρει III, 78.
ἀράομαι : ἠρῶντο VIII, 94.
ἄρδω : ἦρσε V, 12.
ἀριστεύω : ἠρίστευσα VII, 144 ἠρίστευσαν VIII, 17 ἠρίστευσε IX, 71.
ἀρκέω : ἤρκεσε II, 114 bis; ἐξήρκει VII, 161 ἐπήρκεσε I, 91.
ἁρμόζω : ἡρμόσατο V, 32.
ἀρτύω : ἤρτυσαν I. 12 κατήρτυσαν V, 28. 29.
ἀσκέω : ἤσκει I, 96.
ἀσεβέω : ἠσέβησαν VIII, 129.
ἀσπαίρω : ἤσπαιρε VIII, 5 ἤσπαιρον IX, 120.
ἀσχάλλω : ἤσχαλλον IX, 117 ἤσχαλλε III, 152.
ἀτρεμέω : ἠτρεμήσαμεν VII, 8. 1.
αὐδάω : ηὔδα II, 57.
αὐδάζομαι : ηὐδάξατο V, 51.
ἀφανίζω : ἠφάνισε III, 126 ἠφανίσθη IV, 95.

ἀφάσσω : ἤφασσε ed. Schw. ἤφασε Wess. III, 69.
ἄχθομαι : ἤχθοντο IX, 98.
ἐθέλω : ἤθελεν I, 16 ἤθελε I, 97. III, 52. 118 V, 92. 2 ἤθελον II, 148 III, 180 VIII, 25 ἠθέλησε IX, 18. IV, 147. VI, 126 ἠθέλησαν I, 59. Duplicem hujus verbi etiam apud nostrum exstare praesentis formam significant loci IX, 14 ubi θέλων, I, 109 ubi θελήσα, VII, 49, 2 ubi ἐθέλον: II, 11. 14 ubi ἐθέλησα: I, 74 quo loco ἐθέλουσι: VI, 12 ubi ἐθέλεσκον obvium conspicitur cf. etiam 17, 37 et IV, 31.
ἐλέγχω : ἤλεγχον II, 115.
ἐλπίζω : ἤλπιζον IV, 135 VIII, 188 VII, 168 κατήλπιζε VIII, 136 ἤλπισαν VI, 140. VIII, 24. 53.
ἐμέω : ἤμεε VII, 88.
ἐξαπατάω : ἐξηπάτησε IX, 116.
ἐπαΐω : ἐπήϊσε IX, 93.
ἐρείπω : ἤριπον IX, 70.
ἔρχομαι : ἦλθον sexcenties.
ἐσθίω : ἤσθιον VIII, 115.
εὕδω : ηὗδε III. 69.
εὐοδόω : εὐωδώθη VI, 73.
καταρτίζω : κατήρτισαν V, 28. 29.
κατερείκω : κατηρείκοντο III, 66.
ὀκέλλω : ὤκελλον VIII, 84 ἐξώκειλαν VIII, 182 ἐπώκειλαν VII, 182.
ὁμιλέω : ὡμίλησε III, 131 V, 92, 6 ὡμίλησαν VII, 26.
ὁμολογέω : ὡμολόγησαν VI, 92 IX, 88.
ὀνέω : ὤνησας IX, 76.
ὀνειδίζω : ὠνείδισε VIII, 106.
ὀνομάζω : ὠνόμασαν II. 69. ὠνομάσθησαν V, 71 μετωνομάσθη IV, 155. μετωνομάσθησαν VIII, 44.
ὁπλίζω : ὥπλισε I, 127 bis ὥπλιζε II, 163.
ὀπτάω : ὤπτησε I, 119 ὤπτησαν I, 179.
ὁρμίζω : ὥρμιζε VI, 107 μετωρμίζοντο VII, 182.
ὀφλέω : ὤφλεε VIII, 26.
ὀχλέω : ὤχλεον V, 72.

II. Verba augmenti temporalis impatientia.

ἀγινέω : ἀγίνεον III, 89. 93. 97 bis. VII, 25 ἀπαγίνεον III, 92. 94 bis.
ἀεθλέω : ἀέθλεον I, 67. VII, 212.

ἀλυκτάζω : ἀλύκταζον IX, 70.
ἀμαυρόω : ἀμαυρώθη IX, 10.
ἀμβλόω : ἐξάμβλωσας III, 155: dubia lectio.
ἀμείβομαι : ἀμείβετο I, 9. 35. 88. 155 II, 173 III, 14. 36. 78 IV, 155 VIII, 80 ἀμείβοντο III, 34 ἀμείψατο II, 173 παραμείβετο VI, 41 VII, 30. 109. 112. 115 παραμείψατο VII, 30 et inumeris aliis in locis.
ἀναισιμόω : ἀναισίμου I, 185 ἀναισιμοῦτο III, 90 ἀναισιμώθη I, 179 II, 125.
ἄνωγα : ἄνωγε III, 81 ἀνώγει VII, 104.
ἅπτομαι : ἅπτοντο III, 137 V, 18. 92. 3 VI, 70 ἀντάπτοντο III, 137.
ἀπονίζομαι : ἐναπονιζέατο II, 172.
ἀῤῥωδέω : ἀῤῥώδεε V, 35 ἀῤῥωδέομεν IX, 46 ἀῤῥώδεον VIII, 70. 74 καταῤῥώδησαν VI, 9.
ἕζομαι : ἕζετο IV, 165.
ἐθελοκακέω : ἐθελοκάκεον I, 127 VIII, 85.
ἐλινύω : ἐλίνυον VIII, 71.
ἐξορκέω : ἐξόρκωσε IV, 154.
ἐπάλλομαι : ἐπάλλοντο IX, 120: vox suspecta.
ἔργω arceo=ἐέργω, quorum hoc uno tantum loco VIII, 98 (ἐέργει) recedit nec in eo sine lectionis discrepantia. Illud habes media forma ἔργετο IV, 164 VII, 197.
ἕργω, quod postea in εἵργω abiit, sed apud nostrum forma praesertis non cernitur, in aoristo ἕρξε III, 136 superstes est, nec non iu κατέρξαν V, 63, utroque quidem loco „includendi“ notione. Priore loco de lectione genuina potest ambigi, quod locus etiam „arcendi“ notionem patitur et spiritum lenem facile cum aspero commutari potuisse non infitiandum est. Quum vero Vindob. tantum et Arch. Ask. cum Pass. εἷρξε praebeant, Parisini autem omnes cum Flor. in ἕρξε consentiant, altera lectio insuper ad formam praesentis εἵργω, cujus nullo loco apud Herodotum vestigium appareat, pertinere videatur, in vulgari acquiescendum est cum Wess. et Schweigh.
ἔργω, vox primaria verbi ἐργάζομαι, aoristum ἔρξαν V, 65 VII, 8, 2 exhibet. Schweighaeuserus in vocibus deducendis suo more obsoletis inhaerens per syncopen aoristum I ortum putat ex ῥέζω, qua in re idem simul mirum in modum sibi inconstans deprehenditur, quippe qui plerumque praesentia effingat, quae nihil auctoritatis in se habeant.
ἔρδω sive ἕρδω : ἕρδον IX, 103. cod. Flor. et Par. a ἔρδον: sed reliquis in locis, ubi verbum recurrit, forma ἕρδω jus suum obtinet, quare etiam nunc in ἕρδον subsistendum erit.

ἑσσοῦμαι : ἑσσοῦντο I, 67 ἑσσοῦτο VII, 166 ἑσσώθη I, 127. III, 83. IV, 162 ἑσσώθησαν II, 169. III, 45. 58. 132.

ἑτεροιόω : ἑτεροιοῦτο VII, 225.

ἑτοιμάζω : ἑτοιμάζετο VII, 22.

ἑψέω : ἕψεε I, 48 ἕψησε I, 119. Ad priorem locum adi Passov. s. v. ἕψω.

ὄνομαι : κατόνοντο II, 172. Vind. Arch. Par. f: Flor. contra et Pariss. c. aliis codd. κατώνοντο. Sed vide quantopere editores ipsi, codd. auctoritati confidentes in textu refringendo arbitrio suo indulserint! Optimis codd. invitis Schweigh., Koenium ad Gregor. d. dial. ion. §. 23 secutus, Wesselingio, Reiz. et Schaef. obtemperat, quorum error codicum inspectorum fallaci auctoritate excusandus est.

ὀρτάζω : ὅρταζον IX, 7.

ὀχέω : ὀχέοντο I, 31.

III. Verba luxuriantia.

ἀγάλλομαι : ἠγάλλοντο I, 143. ἀγάλλετο IX, 109.

ἀγγέλλω : ἤγγειλας VIII, 80 ἠγγέλθης VI, 69 ἀπήγελλον IV, 153 VI, 105 VII, 142 ἀπήγγειλε V, 87 ἀπήγγελλον I, 91 ἀπηγγέλλοντο III, 36 ἀπηγγέλθη V, 92, 7 ἐξήγγειλαν VII, 178 ἐπήγγελλον III, 36 ἐπηγγέλλοντο V, 98 ἐπηγγέλλετο VII, 1. 39 ἐπηγγειλάμην VI, 35 παρήγγειλε III, 147. VII, 197 παρήγγελλον VIII, 70 παρήγγελλε IX, 53 ἐξαγγέλθη III, 142. 153. 118. VIII, 56 ἐπαγγέλλετο III, 135 bis 142. VI, 139. VII, 27 ἐπαγγέλλοντο VIII, 30. VI, 139.

ἀγορεύω : ἠγόρευον I, 60. V, 83. VII, 10, 1. VIII, 5 ἠγόρευε III, 19. 156. VI, 97 ἀπηγόρευε III, 51 ἀπηγόρευον IV, 125 ἐξηγόρευε IX, 89 (alii ἐξαγόρευε) προηγόρευε I, 22. 91. 208. III, 58. VI, 37. 140. VIII, 83. IX, 98 προηγόρευον III, 62 προηγόρευσε I, 125.

προαγόρευε VII, 10, 4 et in aliis quibusdam locis supra allatis ex codicum testimoniis.

ἄγω : ἦγον I, 103, 116. III, 15. IV, 151 ἦγε III, 21. IV, 87. V, 43 ἤγαγε II, 2. III, 1 ἤγαγον V, 98 ἤγοντο III, 14. IV, 145. V, 15 ἠγάγεο IX, 111 ἠγάγετο II, 175 ἀνήγαγε III, 4 ἀπήγαγε III, 138 ἀπήγετο IV, 80 ἀπήχθη II, 169 ἀντανῆγον VI, 14 ἐνῆγε IV, 145. III, 1 ἐξῆγε I, 79. VI, 91 ἐξῆγον II, 45 ἐξήγαγε III, 157 bis ἐξήγαγον II, 56 ἐξῆγε I, 63 ἐπηγάγετο V, 67 ἐσήγαγε IV, 39 ἐσηγάγετο VI, 63 κατῆγον VI, 75 παρῆγον IV, 158 ex codd. auctoritate fere omnium c. Schweigh. (antea παρέξῆγον) παρῆγε V, 20 περιῆγον I, 30 περιήγαγε III, 85 προηγάγοντο VII, 50 προσῆγε IX, 92 προσηγάγετο I, 172. VI, 25. IV, 172 ὑπῆγον IV, 125. VI, 82 ὑπήγαγον VIII, 116.

ἆγε I, 103. V, 42 *ἆγον* I, 70. 166. 169 *ἄγοντο* III, 14 *ἄχθη* III, 145. V, 13. VI, 30 *ἀνάγοντο* VI, 96 *ἀνάχθη* VI, 30 *ἐξάγαγε* I, 186 *ἐσάγαγε* V, 40 *ἐσάξαντο* V, 34 *προεσάξαντο* I, 190. VIII, 20.

ἀείρω : *ἤειρον* II, 124 *ἐξήειρε* VI, 126 *ἀείροντο* VIII, 56.

αἱρέω : *ἐξηρέθησαν* VII, 106 sine ulla codd. discrepantia. *αἵρεε* I, 62. VI, 33 *αἵρεον* VI, 31 *αἱρέετο* I, 70. V, 93. 94. VIII, 113 *αἱρέοντο* I, 96. IV, 139 *αἱρέθη* III, 55. 159 *ἀπαίρεον* VI, 69 *ἀπαιρέοντο* VI, 70 *ἀναίρεον* VI, 69 *διαιρέοντο* IX, 81 *ἐξαίρεε* I, 159 *ἐξαιρέετο* III, 150 *ἐξαιρέθη* IX, 81 *ἐξαιρέθησαν* I, 175 *προεξαιρέετο* III, 150.

ἀκούω ubique cum augmento praeditum affertur a nostro: unus tantum locus V, 89 (*ἄκουσαν*) obstat, quo minus in numero verborum augmentum habentium referatur. Wisselingius primus ex Ald. Steph. et codd. nonnullis *ἄκουσαν* revocavit: Schweigh. Pariss. suos habuit auctores et confirmatores.

ἀλίζω : *συνήλισαν* I, 176 *συνηλίζοντο* V, 102 — *συνάλισε* I, 125.

ἁλίσκομαι : *ἥλω* III, 5. VII, 195 *ἥλωσαν* V, 65 — *ἁλίσκετο* contra uno loco II, 174 idque in edit. Schweigh. sola: Wisselingius cum superioribus edd. et cod. Flor. aliisque msstis *η* praetulit praeeunte Valkenario judice, quem Reizius ac Schaeferus secuti sunt. Et mirum sane in modum accidit, ut Schw. id potissimum amplexus sit, quod ante eum ad unum omnes editores omnesque fere codd., excepto Arch. et Vind., aspernati sunt et illud regula per se probabili, attamen nunc quidem non probanda, loco nostro vindicare studuerit. Quam enim augmenti auferendi vim terminationi aoristorum et imperfectorum temporum, si in *σκον* et *σκόμην* desinentia formantur, inesse constat, eam nostro quoque verbo nunc tribuit, immemor, aliter id effingi non potuisse ex praesenti, formam vero illam tum demum adhiberi, quum actio repetita denotanda est. Ad haec novum etiam argumentum scripturae per *α* contemnendae haud leve illud accedit, quod vir doctiss. ipse scripturam per *α* elatam in codd. Arch. et Vind. „haud obscure latuisse" dicit, schedarum igitur confectores, si recte sapio, aut lituram aut rasursam aut aliud quid se invenisse hoc loco conquerantur, quod veram lectionem obscuriorem reddiderit. Non recedendum igitur erit ab eo, quod antea summo jure locum obtinuit, *ἡλίσκετο*.

ἀλλάσσω : *ἀπήλλαξε* V, 60 *ἀπήλλαξαν* VIII, 61, 1 *ἀπαλλάσσετο* I, 61. IV, 48. V, 56. 51. VIII, 75. 114 *ἀπαλλάσσοντο* I, 82. 152. III, 25. IV, 156. 164. V, 33. VIII, 121 *ἀπαλλάχθησαν* V, 65. VI, 50. VIII, 18 *ἀπαλλάχθη* II, 152 *κατήλλαξαν* V, 29 *κατήλλαξε* V, 95 *καταλλάσσετο* I, 61 *διαλλάσσοντο* IX, 47.

ἀνδρόω : *ἠνδρώθη* IV, 156 *ἀνδρώθη* III, 3.

ἀντιάζω : *ἠντίασαν* IV, 80. IX, 6 *ὑπηντίαζον* I, 121 *ἀντίαζον* I, 166.

ἀντιόομαι : *ἠντιοῦτο* I, 76. VII, 139 *ἠντιοῦντο* IV, 2 *ἠντιώθη* IV, 10, 3 *ἠντιώθησαν* VIII, 100 — *ἀντιώθη* VII, 9, 1 ed. Schweigh. duce cod. Flor. et Pass. probanteque Schaef.: Wesseling. cum aliis *ἠντιώθη*. Vereor, ne praeposteram voci attulerit opem Schweigh., quod reliqui codd. omnes consentire videntur in *ἠντιώθη*.

ἀρέσκω : *ἤρεσα* III, 63 *ἤρεσε* IV, 147 VII, 215 *ἤρεσκον* III, 142. IX, 47. *ἠρέσκετο* IV, 78 *ἠρέσκοντο* VI, 128 — *ἀρέσκετο* IX, 66 iterum Schw. praetulit τῷ *ἠρέσκετο* codicis Arch. Vind. Pass. Ack. et Flor., tacite provocans ad regulam illam jam in v. *ἁλίσκομαι* rejectam.

ἀριθμέω : *ἠριθμήθησαν* IX, 32 *ἐξηρίθμεον* II, 143 *ἐξηρίθμησαν* VII, 60 *ἐξηριθμήθησαν* IV. 87 — *ἀριθμέοντο* VI, 111.

ἄρχω : *ἦρχε* I, 18. 59. 100. 120. 134. 173 *ἦρχον* I, 102. 106. 130. IV, 1 *ἦρξε* I, 14. 100. 130 *ἦρξαν* I, 106. III, 49. IV, 1 *ἤρχοντο* V, 30 *ἤρξαντο* I, 95. II, 51 *ὑπῆρχε* V, 103. II, 15. III, 67. 150. IV, 128 *ὑπῆρξαν* VI, 1. VII, 8. 9.

ἄρχετο V, 51. VI, 75 *κατάρχοντο* II, 45.

ἀσπάζομαι : *ἠσπάζοντο* II, 121, 4 *ἠσπάζετο* I, 122.

ἐγείρω : *ἐπηγέρθη* VII, 137 *ἐγείρατε* VIII, 142 *ἐξεγέρθη* I, 24.

ἐλαύνω : *ἤλαυνε* II, 102 *ἤλαυνον* I, 60 *ἤλασεν* I, 59. 176. II, 161. III, 9. 63 *ἀπήλαυνον* VII, 211. 212 *ἀπήλαυνε* I, 152. 157. V, 25 *ἀπήλασε* I, 153 *ἐξήλαυνε* I, 50. IV, 83. VII, 28 *ἐξήλασε* I, 16. 173. VII, 6. 41 *ἐξηλάσθη* VII, 6 *ἐπήλασαν* I, 146. 164. VI, 62 *ἐπηλάθησαν* III, 54 *διεξήλαυνε* VII, 100 *ὑπεξήλαυνον* IV, 130.

ἔλασαν VII, 20 *ἀπέλαυνον* VII, 210 *ἐξέλαυνον* VIII, 113 *ἐξέλασε* ex bonis codd. I, 16 *ἐξελάσαμεν* V, 91 *ἐξελάθησαν* VI, 137 *ἐπέλασαν* VII, 183.

ἐλευθερόω : *ἠλευθερώθησαν* I, 95 *ἐλευθεροῦτο* I. 127 *ἐλευθερώθησαν* V, 62.

(*φέρω*) : *ἤνεικε* II, 146 *ἠνείκαντο* I, 57, 173 *ἀνήνεικαν* VI, 30. I, 91 *ἀνηνείκαντο* VIII, 32. IV, 36 *ἀνηνείχθησαν* VIII, 69 *ἀπήνεικε* VI, 27. III, 66 *διήνεικαν* IV, 138 *προσηνείκατο* IX, 108 *συνήνεικε* VIII, 87. IX, 37. VI, 23. VIII, 88. VII, 4. 117. 10, 2. VIII, 88.

ἐξένεικε II, 151; codd. nonnulli *ἐξένεικε*. *συνδιένεικαν* I, 18 unus Vind. ex conjectura Schweigh. pro *συνδιένεικαν*, provocandis ad V, 99, ubi idem cod. idem illud exhibet solus. *συνένεικε* III, 129 cod. Flor. *ἐνείκαντο* II, 180 volente Schw. cum cod. Flor. *προσενείχθησαν* IX, 71 *συνενείχθη* I, 19. Satis ex his exemplis, de augmento neglecto allatis, apparet, quam difficile sit, judicium de vera scriptura exhibere firmatum, si unus tantum cod. bonae notae ubique sibi constet, reliquis omnibus contrarium jubentibus. Ejusmodi diversitates plures suo loco proferam.

ἐπείγω : ἠπείγετο VI, 28. 43, VIII, 18. IX, 12 ἐπείγοντο VI, 133. 135.

ἐπίσταμαι : ἠπίστατο I, 110. II, 116. III, 1. 74. 140. VIII, 35 ἠπιστάμην III, 108. IV, 134. VII, 104. IX, 94 ἠπιστέατο II, 53. III, 66 bis V, 73 ἠπισθήθη ex Werferi conjectura III, 15 — — ἐπιστάμεθα II, 154 ἐπίστατο VIII, 35. 136. (alii ἠπίστατο) IX, 108. V, 42 ἐπιστέατο II, 173 ἐξεπίσταντο II, 43.

ἐξορκόω : ἐξώρκωσε IV, 154 Wessel. cum aliis: Schw. ex Arch. Schaefero praecursore ἐξόρκωσε.

ἐράω : ἦρα IX, 108 ἠράσθη I, 8. II, 131 ἔρα IX, 108.

ὁδοιπορέω : ὡδοιπόρεον IV, 110 ὁδοιπόρεον IV, 116 ubi alii quidem fere omnes ὡδοιπόρεον, excepto Arch.: Flor. ὦ habet. Eadem lectionis discrepantia cernitur in comp. διοδοιπορήκεσαν VIII, 129, de qua infra.

ὄλλυμι : ἀπώλεσαν VIII, 129 ἀπώλλυντο II, 120 προσαπόλεσαν IX, 23. nemine repugnante.

ὄμνυμι : ὤμοσαν I, 165. IX, 109 κατωμνύμην VI, 69 κατώμνυτο VI, 65 ἀπόμοσε VI, 65 omnibus consentientibus.

ὄνομαι : κατώνοντο II, 172 omnes fere codd. cum Wess. — Schw. autem Vind. Arch. et Par.f. secutus, et auctoritate, ut videtur, etiam ductus Koen. ad Gregor. de dial. Ion. §. 23 (Schaef. p. 406. 407) qui ibi de forma sine augmento recipienda monet, et ipse κατόνοντο scribit, qua in re antecessores habuit Reiz. et Schaef.

ὁράω sive ὁρέω. Triplicem hoc in verbo apud nostrum videmus imperfecti formam: augmentatam, non augmentatam et per augmentum syllabicum auctam: ὥρα I, 11. 87 — insignis locus propter diversitatem lectionis: abeunt enim codd. in omnes formas, quas patitur illud tempus. ὥρα praebet Med. Flor. Par.e. ὅρα Par.a.c. ἑώρα Par.b.d. Pass. et alii (ut ait Schw.) i. e. Par.f. Ask. Arch. Vind. III, 72 ubi omnes in una forma conspirant: VII, 160: V, 13 κατώρα VII, 208. IX, 59 ὡρᾶτε VII, 8, 2 ὥρων IX, 18. VI, 79 ἐνώρων VIII, 140 — ὥρεον II, 150. IV, 195. V, 29 ὡρέομεν II, 124 περιώρεον III, 118. IV, 203 ὅρα IV, 76 ὅρεον II, 106 ὁρέομεν II, 148 v. Schw. — ἐνέωρα I; 123 ἑωρῶμεν I, 130.

ὀρέγεσθαι : προσωρέγοντο VII, 6 vulgaris lectio ante Wess., nitens in Par.a.c et b — Flor. προσορέγοντο, quam lectionem adjuvant sine dubio reliqui, quos pro more suo sat vulgari hoc quoque loco Schw. nominatim non affert, quo fit, ut saepe dubiis haereas, quem sequaris. ἐπορέγετο IX, 34 plurimorum lect.

ὁρμάω-ὁρμέω : ὥρμησε IX, 60. IV, 159 ὡρμᾶτο VII, 37 ὡρμήθη VI, 41. 86, 4 ὁρμήθῃς VIII, 68, 1 ὡρμήθησαν VII, 218 ὅρμα VIII, 106 (alii ὥρμα) ὅρματο VI, 1 ὁρμέωντο VII, 88. ὥρμεον VII, 188. 22 ὅρμεον IX, 114 ὁρμέοντο VII, 188.

ὀρύσσω : ὤρυσσον I, 174. II, 108. 150. VII, 22. 114. ὤρυξαν III, 39. IV, 20 ὠρύξατο I, 186 διώρυξε II, 158 ἐξώρυξε VIII, 116 ὄρυσσον VII, 23: lectio, Vind. cod. tantum firmata: reliqui, si fides habenda est Schweigh., ὤρυσσον, in qua aspernanda minus obediens fuit vir doctissimus Schaefero.

ὀρχέομαι : κατωρχέοντο III, 151 ὀρχέετο IV, 129 ὀρχήσατο VI, 129 ἀπορχήσατο VI, 129.

ὀσφραίνομαι : ὤσφραντο ex codd. nonnullorum auctoritate: plurimi consentiunt in ὄσφραντο I, 80.

ὀφείλω : ὤφειλε VI, 59 ὄφελον I, 111, III, 65.

ὑποπτεύω : ὑπώπτευε III, 44 ὑπόπτευε VI, 129.

Hisce in medium prolatis indicem verborum, quod ad usum augmenti temporalis attinet Herodoteum, satis certum ac firmum mihi composuisse videor. Si quis vituperatum me eat, quod in locis afferendis interdum parcior fuerim quam uberior, id quidem excuset finibus hujus commentationis angustius constitutis. At vero semper studium et cura animo obversabatur in his proponendis, ut ratio usus perspiceretur et cognosceretur: ubicumque igitur in his urberior deprehendor, ibi Herodotus quoque largam exemplorum copiam exhibet: quo parcior autem ipse fui, eo angustior etiam fructuum colligendorum patebat campus, ita ut, si duo tresve formae proferuntur, eas solas esse, quae exstent, lectores judicent. Typographo, quantum fieri potuit, succurrens, qui primus in oppido nostro graeca excadere periclitatus est, non uno loco ejusdem temporis formas consimiles conjeci. Diu quidem dubius haesi, num suo quoque loco lectionis discrepantiam congererem nec ne: ex quo autem persuasum mihi est, parum confici in nostro codicibus etiam accuratissime excussis prolatisque, nisi quis insolito nostri scriptoris studio doctus Herculeum sane laborem sustinere in se recipiat, cum editione quadam nostrorum optima ad unum omnes codices, quorum ad nos pervenit cognitio accuratior, conferre et discrepantias sedulo ac religiose in ea enotare ab ea cogitatione recessi. Qui enim Schweighaeuseri praefationem attentiore legerit animo legendoque textus Herodotei historiam perspexerit, eum intelligat necesse est, viam ac rationem lectionis constituendae, utpote quae viris demendata sit interdum ad rem suscipiendam paratioribus quam aptioribus, hominibus certe, quorum magis interérat, fidem praestare quam praestitam comprobare, non esse justam eamque, quae satisfacere possit desideriis nostro quidem tempore non negligendis nec comprimendis. Maxima autem difficultas editoribus inde suborta est primariis duobus, Wesselingio et Schweighaeusero, quod ex illis hominibus, quibus ipsi negotium dederant codicum comparandorum alius ad aliam editionem lectionum varietatem referebat, ita ut editori negotium remaneret grave, schedas hinc illinc oblatas, quae variis innitebantur editio-

